

7.6i.

SPECIMEN PHYSIOLOGIAE PLANTARVM II.

D V B I A

CONTRA
VASORVM IN PLANTIS
PROBABILITATEM
CONTINVANTVR:

QVAE
PRAESIDE
C. F. JAMPERT,
PHIL. ET MED. DOCT.

PUBLICE DEFENDET
F. C. SCHWALBE.

Quedl. Saxon.

HALAE DIE 16. OCTOBR. MDCCCLV.

EX OFFICINA FÜRSTENIA.

9.



§. XXIII.

Exhibit is jam, quae possibilatis probabilitatem (certitudinem enim nunquam obtinuit thesis,) infringere possunt, alio argumento generali incedamus, probando nempe actu ibi talia non dari vasa, ubi tamen summe necessaria sunt, quam quidem thesin innumeris corroborare possemus experientiis, per omnia fere plantarum genera deductis; ast ne verbis frustraneis Lectores moremur & saepius eadem repetamus, per partes plantarum plane diversas incedere placet, quibus de-
mum absolutis sane ulterius ruet probabilitas.

§. XXIV.

Partes plantae, uti omnium corporum organicorum, sunt tum constituentes, (compositae quanquam,) tum inde constitutae. Ad constituentes merito referuntur cuticula, parenchyma, liber, alburnum, medulla. De cuticula constat eam squamulis sibi invicem appositis constare, si ne eo tamen, quod unquam vasa in ea fuerint reperta, vel ullus unquam botanicus talia ibi posuerit. Vide Ludwigi, Boerh. Pontederae scripta. Neque microscopio-

rum ope, l. naturalis l. macerata, manifesto vasa sifit. Variae vero ejus dantur varietates, à loco desumptae, in radice, in folio, in trunko, in flore, fructu, semine haerentes, tum mollior, ut in radice, tum subtilior, ut in flore, semine & folio, durissima in trunko & densissima. Omnibus tamen is character communis, quod squamae componentes multos admittant poros, armatis oculis reperiundos, & ab effectu per transpirationem plantarum sat probatos; nunquam vero fibras, falso sic dicta vasa. Optime hic dignosci possent, cum structura simplicissima & pellucidissima est. Quodsi vero experientia docet, fluida posse trans cuticulam transire, quanquam vasa defint, sequitur possiblitas & actualitas motus sine vasis: quam thesin inferius dicenda necessariam reddunt.

§. XXV.

Parenchyma dicitur plantarum pars, quae constat utrilibus & sub cuticula proxime haeret. Utriculus plantarum est cavum exiguum ad summum; lineae l. integrae lineae aequale, variae irregularis figurae, frequenter hexangularis, undequaque membranula tenuissima, squamosa, non vasculosa clausum: succo ut plurimum scatet, dum vivit planta. Talia cava copiose congesta substantia utricularis, contextus cellulosus &c. audiunt & sunt primariae ac communes constituentes plantarum partes. Si sub cuticula, uti dictum est haeret, audit parenchyma; ergo magis composita est pars parenchyma, ac fuit cuticula: saepius magis adhuc compositum occurrit, dum nempe fibrae ligneae, vel sic dicta vasa succosa & cartilaginea & spatiola vacua rotunda, nudis saepe, armatis facile, visibiles oculis, ejus substantiam tum secundum longitudinem, tum radiatim & tortuose perreptant. Abstrahamus vero à fibris, constabit simplex parenchyma utriculis succo turgidis. Fluidum ita-

itaque hic praesens, vel ibi nascitur, vel apportatur. Prius impossibile, ergo debent adesse pori in utriculorum membranulis, fluida transmittentes. Ingressum vero fluidum vel perpetuo stagnat ibi, vel continuo mutatur, prius vix conceptibile, ergo transbit, & viae adesse debent. Locus excretorius fluidorum in plantis praecipue sursum ad foliorum superficiem haeret, ergo sursum versus fluidum in utriculis moveri debet, ergo debent inter se communicare, quod tantum demonstrare opus erat. Quod vero actu succus in parenchymate sursum versus non modo 1) tendat, sed 2) actu moveatur, & 3) ex uno utriculo in proximum sursum abeat, loquuntur caudices lactescientium & Chelidonii majoris dissecti, qui manu e loco parenchymatis succum fundunt, & quidem longe copiosorem, quam qui concipi potest, quod in ipsis cellulis dissectis ante contentus fuerit, communicatio ergo negari nequit; nam per refutata vasa summe exigua tantum simul prodire nequit, quantum actu profluit.

§. XXVI.

Obstat hic tantum, partem truncatam superiorem aque succum fundere ac inferiorem, tendentias itaque contrarias hic probari, quae exhibitae directioni §. praeced. contrariantur. Exhibit is vero phaenomeni rationibus fallacia patebit. Docet experientia, succum diutius & largius fundi ex caudice inferiore, quam ex superiore, ergo ratio motus hic debilior erit. Quia vero profluit, debet dari vis, huc versus tendens. Aliam hanc esse, vix concipere licebit, quam pressionem fluidi in utriculis. In statu enim naturali & vitae, succo turgent, hinc unus alterum premit. Dum vero integer adhuc esset caudex, ubivis aequalis erat pressio & resistentia; quaqua versus enim aequabiliter reagunt compressa, quia fluida aquea non sunt comprimibilia, & aer copiose contentus

D 3

cous-

ousque comprimitur a quacunque vi premente, donec tendentiae i. e. vis comprimens & elater resistens sint in aequilibrio: cellulae vero continuo inde depletæ iterum succo afflente presso replentur, quia minorem offendunt resistentiam, i. e. nondum sat repletas. Contra vero, caudice dissecto resistentia ibi nulla, fluida vero inferius & superius manent presa, ergo moventur eo, ubi minor resistentia: haec ratio communis in utraque parte. Ast in superiori, quia nihil affluit, rursus utriculos replens, & transpiratio continuat actu, citius profluvium cessare debet.

§. XXVII.

Diameter parenchymatis ut plurimum quidem pro ratione crassitici partium nutriendarum variat, saepius tamen à regula aberrat communi, quod ut plurimum tunc sit, si vel corpus plantae parum vel lente increscit, vel in aliis si officio ejus succurrat medulla in centro plantarum, communiter tantum annuarum, & ramis junioribus arborum, haerens, & de reliquo eosdem habens characteres, ac de parenchymate exhibiti sunt, nisi, quod semper in centro haereat, & nunquam fibris talibus ligneis l. cavis cylindricis manifesto sit pertexta. Succum aequa in utriculis continet, vehit, protrudit secto caudice: haud raro minus succulenta offenditur. Hinc non opus est, ut diutius medullæ immorer.

§. XXVIII.

Contra circa differentiam specificam accidentalem parenchymatis à medulla quedam difficiliora adhuc monenda restant, nempe quod sæpe fibris ligneis sit intertextum. Occurrit hoc communiter in plantis umbellatis & foliis sessilibus. Fasciculi fibrarum laxe colliguntur, ita, ut spatia sat manifesta secundum longitudinem decurrentia relinquant, sæpius nomine tracheatum insignita. Circum-

cumvolvuntur vel plane, vel ex parte, vel includunt interdum parenchyma, utriculis longe subtilioribus constans. Annotavi hoc præfertim fieri iis in plantis, quibus copiosius parenchyma e.g. umbellis aquaticis, & aliis nonnullis aquaticis plantis. Eodem modo in foliis sessilibus, quibus copiosum parenchyma, sparsim occurunt. Contra in petiolatis eadem fibrae, (alias vasæ) ast proxime sibi invicem applicatae existunt. Ratio diversitatis in eo mihi latere videtur, quia utriculi repleti graues sunt, & inferiores pondus omnium superpositorum sustinere debent, hinc et latere interiore fibris ligneis firmiter adhaerent, exteriore cuticulae, qui nexus pro paucis sufficiens quidem: si contra latitudo tanta, ut e.g. 4 vel 6 vel 8. utriculi intermedii sint, facile tunc pondus omnium simul sumitum majus cohaesione reddi posset, cederent inferiores, structura rueret, quia insuper, quo longior est linea recta, quamquam tensa, eo faciliter potest incurvari, exemplo funium crassiorum, ut sunt nautarum. Iste praeternaturalis status ut praecaveretur, Deus dedit noua fulcra intermedia, proportionate densa, firma et numerosa in medio, quibus utriculi inseri & firmari possent. Contra in medulla non opus est quia 1) externe ubi vis eandem substantiam solidam, ligneam attingit, ergo tendentiae sustentantis quaquaversus aequabiliter resistent, centrum alias, facile cedens multis viribus raditam tendentibus sustentatur, 2) superiores utriculi majori vi sustentantur, hinc minus deorsum tendunt 3) in majoribus saltem plantis, ubi diameter medullæ major, tantam succorum copiam non vehunt, teste sambuco 4) contra, ubi medulla succulenta, ibi a) multo solidior b) diameter admodum exiguis e.g. in ramis arborum &c. 5) medulla, circum circa inclusa firmiter haeret, hinc fluida, si deorsum, premunt inferiora nullibi cedere queunt, ergo in impenetrabilitatem actio cedit, & infinite magna erit resistentia; contra in parenchymate cuticula in infinitum non resistit, facile rum-

rumpitur, testantibus id succis, lacrymis, gummatis & resinis arborum.

§. XXIX.

Incidenter hic adduxi rationes quarundam observationum, quia, quatenus mihi constat, nemo hucusque earum theoriam exhibuit. Interim omnia praesentiam actionum & motus fluidi in utriculis loquuntur; ergo & ibi dabitur motus succi possibilis & actualis sine ulla vasis.

§. XXX.

Liber vero & alburnum huscusque consensu omnium vasis constare exhibita sunt; succos prior, posterius cartilagineis ex parenchymate quotannis productis, sensim duriora evadentibus, lumen angustantibus, & ligneam demum assumentibus duritiem. Tum iisdem principiis probatio usus, necessitatis, qualitatumque vasorum innititur, quae superiori tractatione refutata sunt: tum vero observationibus specificis fundatur, ubi arbores salvae mansere ligno omni remoto; ergo statim fluit conclusio, per librum & alburnum, ergo per vasa ejus invisibilia, succi adscendunt; ergo quae in statu p. n. fiunt, etiam constanter in statu naturali. Tali modo botanices patres rigorosissime logicam applicant. Si observationibus magis sollicite inhaesissent, vidissent e. g. in pinis nupererrite caesis, nudis oculis succum caulis resinorum nutricium per omnem ligni aream prorumpere; ea tamen lege, ut non in linea fibrarum lignearum ipsarum, sed ad interstitia earundem contextu celulloso repletarum, prodeat. Imo diu ad hasce lineas persistens manet, tandem vero lineae fibrarum ipsarum etiam superimponitur, non quia inde exit, alias statim ibi haereret, minime: sed quia fluidum copiosius protrusum oras cellularum transcedit, partem densiorem, fibras nimirum contingit, cui fortius adhaeret, hinc eo versus movetur, ibique subsistit.

sistit. Nonne eadem ratio & modus fiendi etiam circa librum & alburnum locum obtinere potest? Datur ibi substantia cellularis inter duas laminas, eadem quidem, quae ante annum I. duos ipsum parenchyma constituerat, cujusque totum officium motu & transmissione tunc absolvebatur. Fibrae e contra cavae non sunt, neque dissectae fluidum fundunt, largissime vero utriculi intermedii. Longe porro facilius concipi potest, quomodo pars utricularum parenchymatis hyeme exsiccata, in nudam concrescat fibram, eousque, ut soliditas decens inde obtineatur; quod vero sine obliteratione cavitatum utricularum fieri unquam inequit; quia membranulae olim sejunctae, jam artissimo vinculo sibi invicem applicari debent. Et cum per totam arborem, idem parenchyma, eademque rationes sint, eadem etiam formabitur fibra longitudinalis, non simpliciter quasi numerosissima circum circa, in planum tenuissimum, librum & alburnum referens, coalita. Primo statim anno applicatio adeo arcta est impossibilis; quia cellulae sub formatione parum adhuc humidi spissi continebant, applicationem impeditis, quod sequente aestate vel evaporat, vel in partem constituentem solidam abit; quod ultimum probabilius est, quoniam, qui autumno refluit succus, spissus est, partes nutritiles concentratas continens. Hinc major tertio anno densitas fibre, quarto adhuc crescens, & ita tandem in ligneam abiens duritiem. Ulteriore exhibere geneseos mechanismum, defectus figurarum aenearum prohibet, & amplitudo major, quam angustior dissertationis campus vetat: alio vero tempore explicitur. Haec tenus dicta lignis petrefactis egregie probantur, in quibus videmus, si ad præparationem naturae in aquis attenti existimus, sèpiusque protraxerimus ligna, aquae immissa, primo materiam lapideam contextum cellularem

Iularem replere, deinde fibris arctius apponi, & impingi; hinc haud raro a mineralophilis ligna petrefacta, quorum fibrae adhuc ligneae flexiles sunt, exhibentur.

§. XXXI.

Objicies hic: In variis autem lignorum petrefactorum speciebus, e. g. Coburgensi, Mansfeldensi, &c. plane omnes ligneæ fibrae actu materia lapidea sunt replete, ita, ut sub politura nulla earum amplius indicia offendantur; ergo materia lapidea sat crassa, imo longe crudior ipsiis arborum succis, fibras penetrare valet, ergo debent esse perviae. Respondeo 1) permeabilitatem nemo negabit, perfecte durum cum ignoraverimus, potest ergo in interstitia membranularum penetrare, & sic fibram, per totam substantiam ligno obductam, sistere. Hujus cohaesio, ergo rigiditas, non amplius erit in ratione ligni, sed lapis, ergo non erit flexilis, sed fragilis 2) saepe vero materia lapidea cum tali acrimonia potest esse connexa, ut lignum successive destruatur, & sic loco ejus sensim materia lapidea, ergo sub eadem forma fibrarum, apposita erit. 3) In mineralogia credulitatem nimis offendere; multa vidi egregia venditari ligna, quorum certitudinem nec ego, nec possessor dare potuimus. Vtricularem vero ligni substantiam succis, vel aquæ esse perviam, diu post obitum plantæ monstrant; antliæ experimenta, ubi aqua, vi aeris prementis & adhaesione fluidi specifice levioris trans lignum agitur, quo transitus nudis oculis patet &c.

§. XXXII.

Partes vero plantarum compositae sive organicæ variae dantur; quorum pertinent radix, bulbus, caulis, petiolus, thalamus, flos, fructus, semen. De his itaque in specie
ad

ad hoc exhibendum restat, iis non competere talia vasa infinite parva, quanquam succorum motus in omnes cadat.

§. XXXI.

Radix, speciatim communis fibrosa, dictis constat partibus cuticula, parenchymate largissimo, fibris paucioribus, medulla nonnunquam praesente, nonnunquam deficiente. Absorptio humorum, communicatio cum planta, vix constanter elaboratio, absolvunt ejus officia. Fit vero primo ex adhaesione humorum ad cuticulam, penetrationeque per poros, docentibus id experimentis antliae. Prima, quam subeunt humores absorpti pars, est proxime subiectum parenchyma. Semper hoc turgidum est succis, partim jam-jam mutatis: exinde ope ductuum radiatim ad medullam tendentium trans fibras ligneas medullae traditur, unde est quod haec aqua repleta offendatur. Motus hujus veritatem docet ipsa rei natura, docent dicta LUDWIGII Inst. R. V. §. 366. 367. 373. Translatoris Halesii p. XXIII. Fibrae enim ipsae, sic dicta vascula semper pauciora redundunt, quo minor radicula, ibi contra maxima absorptio ob maximum relative superficiem. Motus ergo præcipue in utriculis sicut; nec non communicatio inde sat patet, quia idem succus per totam radicem adscendit, nullibi contra perquam sensibiliter, in proximis variat utriculis.

§. XXXIV.

Altera radicum species sat frequens, tuberosa nempe & nodosa, dicta longe evidenter palam facit. Anatomia enim, microscopia, & unanimis in sententia hac consensus botanicorum, imo quotidiana talium radicum esculentarum experientia, in eo coincidunt, quod his plane desint fibræ, sic dicta vasa succosa, præfertim tota ista media succulenta & maxima simul pars medullaris, quae

E 2

exter-

externe adhuc fibris durioribus circumdata est, iis manifesto caret: E. g. in Brassica gongylodes T. Apio dulci T. In minoribus vero radicibus longe pauciores, imo nullae tales fibrae, quorsum Solanum tuberosum esculentum &c. referre placet, offenduntur. Horum tamen omnium in gre-
mio succi copiose haerent, moventur. Imo mutantur in iis succi æque ac per totam plantam; continent enim & evolu-
vunt germina; nuperrime formatæ plantæ succos elaborato-
res solutos advehunt, tradunt, exsiccantur dein, pe-
reunt, quanquam fibrarum defectus manifesto adsit.

§. XXXV.

Nova radicum species constituitur à sic dictis fusi- &
napiformibus. In his quidem apparerent copiosissimæ
fibræ, proportionate tamen copulatae, longe medullæ
& parenchymati sunt inferiores. Ultimarum vero partium
abundantia, præsentiam, admissionem, conservationem, elab-
orationem, motum refluxumque succorum facile probat.
Imo tempore marcescentiæ plantæ primi anni, paren-
chyma cum medulla abundant; decrescentia altero anno
imminente sensim contrahuntur, angustantur, fibræ
quanquam parum absolute auctæ, relative tamen
magis abundantes redduntur, certo indicio utriculos
esse partem ad vegetationem necessariam & primario in-
strumentalem. De radicibus bulbosis eadem ac de tube-
rosis tenenda, ex parte vero cum semine coincidunt.

§. XXXVI.

Caudices quod attinet plurima sufficienter jam evolu-
ta dedimus §. 30. 31. Pauca itaque adhuc addam parti-
cularia. Si verum esset, succum per vasa infinite parva
succifera tantum moveri l. si falsum esset, succum per
parenchyma actu moveri, sequeretur ubi plurima talia va-
sa

fa s. fibrae, ibi copiosissima fluidi præsentia, ergo explicatio, incrementum plantæ largissimum; ast natura & observationes contrarium manifesto docent: prius ergo erit falsum. Spectant vero huc, ut quædam saltim exempla demonstrantia exhibeam, plantæ aquatice maxima ex parte contextu celluso conflatae, caules lactescentes, paucis talibus pseudo - vasis præditi, Fungi, Lichenes, qui, an vase habeant nec ego, nec alii, quantum scio detexerunt, fibris tamen analogon mollissimum reperi. Maxime vero huc spectant plantæ succosæ, Seda, &c. & proxime affines plantæ bulbosæ, fibris paucissimis præditæ. Contra natura monstrat, quo minus parenchymatis & medullæ datur, & quo copiosiores sunt fibræ, eo lentius ibi dari incrementum, ergo affluxus, motus succi: testantibus id filicibus, fruticibus, herniaria, sclerantho, serpillo & infinitis aliis. Porro si per talia minima vase succus transiret, sequeretur, ut minimum in iis plantis maximis, quæ partes maxime crassas crudas terreas habent, diameter vasorum saltim in libro & alburno sit visibilis, quorsum pertinent nucleiferæ arbores, ut sunt Iuglans, Corylus, Cornus, Acacia, Olea, Persica &c. ast nullus Botanicorum ea se vidisse narrat, nec ego in Iuglande & Acacia detegere potui.

§. - XXXVII.

De petiolis in prima Dissertatione plura exhibui. Lumen vero vasorum ibi imperceptibile esse, Thummig: docet Diff. citat §. 15. qui ultima adhibuit microscopia, globulos nempe exiguos, quorum ope medullam quidem petioli vidit habuisse cava directe transeuntia aperta, minime autem diametrum vasculorum succiferorum uti ipse ea nominat, quamquam pellucida, viridia ea vi-

viderit. Ruunt per dictam observationem duo argumenta contra priorem dissertationem, nempe soliditatem impedire, ne lumen sufficienter transeat, hinc eam ob rationem esse invisibilia, tenuis enim quælibet lamella plantarum pellucida est. Alterum vero, diametrum adeo exiguum facile comprimi posse sub dissectione: si enim verum est, medullæ poros summe exiguis intra membranas longe moliores, flexibiliores obvios, per sectionem non compressos fuisse, uti observatio loquitur, neque diameter vasculorum longe rigidiorum, solidiorum semper comprimetur.

§. XXVIII.

Sequens jam thalamus, pars plantae quoad charactrem receptionis floris, plantis essentialis, quoad magnitudinem varians, egregiam & omni exceptione majorem suppeditat probationem falsitatis vasculorum succiflorum infinite angustorum. Examini aptissimi sunt thalami compositorum florum Helianthi, Asterum & Carduorum. Hi sub omni directione dissecti, nullibi vasorum indicia monstrarunt, nil contra nisi mere contextum cellulosum tam subtiliorem, quam majorem exhibit. Vix ad linea vel duarum distantiam à calicis villis fibra quædam lignea, olim vasculum in helianto offenditur, evanescens antequam semen quoddam intret. Reliqua tota substantia fibris caret, non nisi productio medullaris tumida inflata existit. Transtum interim succi copiosum nemo negabit, aut negavit unquam, cum tot, tantosque flores & semina habeat evolvenda & elaboranda. Neque succorum præparatorum mutationem inficias ibunt, cum minimum latescens seminis proprietas ipsæ plantæ vel thalamo non adeo semper propria sit; contra in helianthi thalamo nil nisi

nisi succum aqueo pinguedinosum digitos inquinantem reperies. His itaque partibus vasa si deficiunt, quibus summe necessaria sunt, salvo tamen officio, certo valebit, non opus esse, talia figura analogica vix possibilia præter necessitatem admittere.

§. XXXIX.

Semel parte floris una exhibita ulterius reliquas ejus partes examinare juvabit, cum omnibus motus humorum competat; nullis vero vasa ficta. Sint primo loco stamina. Nemo unquam filamentis vascula manifesto tribuit, nullum mihi exhibuerunt, multa inquirenti, cum de ortu miraculi illius plantarum, praeparatione nempe pulveris siccii, sat magnarum molecularum, sollicitus essem & anatomice filamentorum structuram sedulo disquirerem: Contra cellulas exiguae copiosas vidi, neque sub directione linearis semper positas, sed sine ordine connexas. Pelli-
cidissimum subtile corpus & optima microscopia, & globuli, exercitium quotidianum, imo horarium, diurnum & nocturnum fallacias omnes excludunt, vasa esse a me præ-
tervisa, quanquam optimè compertum habeam, vix sub
ulla alia observatione plures dari possibles fallacias, quam
sub ipsis microscopiis. Quantitas enim, directio, refractio
luminis, situs corporis, puritas & claritas tum vitrorum, tum
objectorum, humiditas, siccitas, directio sectionis, pel-
luciditatis gradus, & ipse demum focus, ejusdem objecti
imaginem centies variare queunt. Succum vero medi-
antibus filamentis antherae advehi, nemo negare valet, nulla alia possibili via existente. Minime autem pulvis anthe-
rarum qua pulvis adfertur, cum qua massa solida mobi-
lis per filamenti non esset, & antherae delineatae contem-
tum actu pinguedinosum, spissum, subfluidum reperi-
tur. Fluida itaque & in filamentis per contextum cel-
lulo-

lulosum solum moventur. Neque antherae unquam vasis praeditae repertæ sunt, nisi villoositatem internam opponere velles, quam vero prolongatos utriculos potius credo, l. quod magis arridet, residua exsiccatae cellulositatis internæ.

§. XL.

Sexus sic dicti sequioris plantarum genitalia sive pistillum, ovario stylo & stigmate constans, eadem gaudet fabrica cellulosa. Stigma quidem ob villoositatem sepe vasculis praeditum esse videtur, sed si sunt, vel in fine solum formata erunt, vel e stylo derivanda. Stylus autem subitus positus per totam suam substantiam in permultis quas examinavi plantis nullum vasculorum indicium exhibuit, ergo nulla per stylum ad stigma adscendunt vasa, ergo vel ibi formata, vel nulla erunt. Prius si concedere placet, me parum tanget, sunt enim majora, nudis oculis visibilia, qualia ipse nunquam negavi. Inio Illustris LVD WIGII auctoritas argumentationi meae sane magnum addit pondus, dum §. 481 ipse fatetur, se summo studio inquisitos stylos semper cellululos reperiisse, nullam contra unquam aliam viam.

§. XLI.

Ouarium dupli respectu consideratur, dum parte alia magis, alia minus essentiali constat. Posterior vel succulenta est, vel non. De capsula, qua ulteriore specie nullum obvium hucusque fuit exemplum, vasa manifesto exhibens, contra dum juniores sunt, externe cuticula squamosa, intus multa cellulositate gaudent, cujus ope fluida ad - & reduci debent. Prior species succulentior communi fructuum nomine venit. De his omnibus notum est, constare maxima ex parte contextu utriculari succo

succo turgidissimo, paucissimis contra talibus fibris, pro vasis alias venditatis. Variae hinc observationes induci queunt, quarum quasdam exhibere juvabit. Si dissecas fructum, succus nunquam ex ipsis vasorum poris prodit, contra sufficienter ex parenchymate sectione destructo, cum tamen per fasciculos vasorum apertos &que fluida manifesto prodire deberent. Porro vasorum sic nuncupatorum numerum, hinc succi per ea advecti, in relatione substantiae parenchymaticae, nullam inveniri proportionem, quod ipsa inspectio sat probat. Nec minus, maxima dari spatia utriculorum, nullis plane vasis, neque ramusculis praedita, quorum ductu fluida utriculis advehentur, omnes tamen &quabiliter sunt & esse debent repleti: alius itaque dari debet modus communicationis succorum cum utriculis, commercium nempe mutuum eorumdem, varias jam per inductiones probatum. Tandem obser-
vasse non inutile erit, neque cuticulam esse vasculosam, neque porrigi vasa versus exteriora ad superficiem usque, perspirationem fructuum quamquam nemo neget. Hujus ergo & actionis plantarum maxime vitalis modulus non unicus datur, qui est directus per vasa; possibilis itaque & in foliis aliis erit, ex ipso parenchymate ortum trahens.

§. XLII.

Magis essentialis pars totius ovarii ovulo absolvitur. Componitur cotyledonibus & germine. Cotyledonum substantia experientia & consensu botanicorum est parenchymatica, pulposa, cuius cava sub fine vegetationis succo gaudet lacteo, spisso, sensim in farinaceum corpus solidescente. Facile tamen is iterum fluidus & mobilis reddi potest, semine terræ vel aquæ mandato, ubi dein in novum excitatur motum, particulas quam maxime homogeneas & specificas, per vegetationem præteriti anni elaboratas, huc sepositas germini qua adaptatissimum nutrimentum præbet, pro

F

evolu-

evolutione novæ similis plantæ. Motus itaque, advection, scilicet refluxus, penetratio, possibles hic sunt actuque fiunt, defectus quanquam vasorum sat certus sit, nunquam enim nec optimis etiam microscopiis in cotyledonibus jam aqua tumidis, emollitis & radiculam evolventibus, vasorum indicia detegere scivi. Squamarum in radicibus bulbosis eadem effratio & idem officium, quod de cotyledonibus jam exhibui, hinc diutius his immorari operac preium non duco.

S. XLIII.

Notandum esse video, (ne quis credat, me in logomachiam incidisse, mox fibras vasa dum nuncupaverim, mox autem præsentiam vasorum negaverim, ubi manifesto quidem structura fibrosa datur,) quod vasa infinite exigua botanicorum, quae concipiuntur esse fibrae, fasciculatim oculos incidentes, cavae, pro veris fibris habeant solidis, abs uno illo cavo non gaudentibus. Contra meam si promulgare licet sententiam, eas nil nisi plantarum ossa credo, prout sic dictæ lignæ fibræ jam dudum ab omni fere botanico. Variat quidem rigiditas, durities, soliditas, fibrarum istarum, vasa alias representantium longe ab ipsis fibris osseis. Ajunt nemipe botanici, esse vasa succosa, mollissima: Concedo etiam omnia, sed addo tantum, distinctionem admittendam esse inter ossa totius plantæ, & ossa utricularum. Situm enim dum exhibent l. per medium l. proxime circa parenchyma & medullam sua condunt vasa. Tota vero planta longe difficilius sustentanda, quam pondus utricularum annexorum, priores ergo fibrae necessario longe robustiores requiruntur, contra pseudo-vasa, non nisi pro sustentatione & distributione utricularum commodiore data, adeo solida non exiguntur, neque talia reddi queunt, quo usque utricularum succulentia manet, ob humidum ab extra adhaerens, semper præsens, emolliens. Tota autem planta demum exsiccata, & haec

hae fibrae rigidae, duriores, minus flexiles reddentur. Nil minus, quam copiosissimis probationibus, ab experientia peritis caret dicta theoria. Sit e.g. fructus succulentus melonum, ibi paucissimae fibrae, quasi ramosae, & quidem sub proportionata tali distantia tantum, ubi novo fulero utricularum opus erat. Ideo in malis & piris distant paulo a semine sub ampliore peripheria, non motus succi causa, alias ramuli ad ultimam continuarentur peripheriam fructus; sed melioris utricularum sustentationis causa.

§. LXIV.

Remota haec tenus probabilitate vasorum infinite angustorum, quorum ductu succus ad mentem botanicorum ascendere & moveri deberet, statim oritur quaestio: Quoniam alio modo absolvatur motus per plantam? Respondeo, modum fiendi aliud per easdem inductiones, quibus praefentiam vasorum removi, jam exhibui. Sufficit nimirum utricularis substantia, ubi vis quia datur, ubi succi, & ubi partes mediante succo elaborantur. Imo communicatio quam Thummig. Diss. cit. manifesto vidit, per argumenta legitime concludendo probari potest.

§. XLV.

Probabiliter, possibili, & actu existente quanquam haec via succi, nunquam tamen omnia negare vasa audeo. Potius verosimile duco, interstitia illa paulo majora, in quolibet fibrarum fasciculo praefentia, officio vasorum actu fungi posse; praefertim, si aliqui placet directionem specificant plane necessariam esse ad mutationes succorum, quae tamen omnes a solo induci queunt contextu utriculari, testantibus id manifesto perceptionibus qualitatum diversis in diversa parte utricularum ejusdem plantae. Imo mutationes fluidorum primaria ratio, ut docet physica & chemia est motus intestinus, aequo ubi vis possibilis. Nec unicus existo, mutationes, secretiones, praeparationes contextui celluloso tribuens, comitem cum consentientem habeam Pontederam, omnia vasa removentem per tacitam hypothesis, omnemque secretionem per utriculos fieri docentem. Maximi ceteroquin botanici diu jam dubii haesere, cui potius parti hoc munus tribuerent, quorsum du Hamel Lib. & Tom. citat. pag. 318. refero, qui expressis proficitur verbis, item hanc se non posse decidere.

§. XLVI.

Vnicum adhuc addam illud. Si actu darentur talia vasa infinite exigua, certo, si unquam, iis in plantis essent visibilia, ubi paucissimas

cissimae subriles fluidas partes, & contra mere terra crassissima transir, uti sunt musci, lichenes, & corallia. Ruunt in his refugia contrasentientium, summa nempe subtilitas invisibilis, ruit teneritudo laterrum, hinc possiblitas compressionis sub dissectione, ruit si & hoc monere vellent, collapsus vasorum, cum observationes docuerint, mansisse vasa aperta per multos annos, & dein novos suxisse succos. Vid. Ill. LVDW. I. c. §. 363. Ego vero nullis microscopii nec ipsas fibras sive vasa, nec foraminula eorum, unquam vidi, merum contra cellulosem contextum, proxime sub cuticulis haerentem, ibique magis pellucidum, quamquam durissimum; circa medium fere omnes Lichenes, quamquam tenuissime secti obscuri mansere, hinc de istius partis structura nil certi determinare valeo. Vasa vero non vidi, contra foraminula sat magna lumen transmittentia cylindrica quamquam paucissima.

§. XLVII.

Quae restant de repletione vasorum plantarum fallaci, aliaque experimenta, nec non modi fiendi ipsius motus, porro, quae circa vasa sic dicta aerea plane nova sentiam, in aliud differre cogor tempus, cum jam deficiat.

Errata, ob festinationem praetervisa.

Pag. 14.	1. 14. potuerint	- - -	potuerit
pag. 15.	1. 12. illis	- - -	illi
- - 17.	1. ult. securis	- - -	secaveris
- - 18.	1. 20. refertur	- - -	referitur
- - 20.	1. 20. quibus	- - -	quorum
- - 24.	1. 31. Coniunctus	- - -	conclusus



ena
ius
an-
llo-
sis.
m
re-
u-
deo
it.
ui-
oe-
is
n-
o,
u-
i-
s-

11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100
101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
698
699
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
798
799
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
898
899
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
988
989
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
998
999
999
1000

Pd 2231



77 → 77

Amic



SPECIMEN PHYSIOLOGIAE PLANTARVM II.

Q V O
D V B I A

CONTRA
VASORVM IN PLANTIS
PROBABILITATEM

CONTINVANTVR:

QVAE
PRAESIDE
C. F. JAMPERT,
PHIL. ET MED. DOCT.

PUBLICE DEFENDET
F. C. SCHWALBE.

QVEDL. SAXON.

HALAE DIE 16. OCTOBR. MDCCLV.

EX OFFICINA FÜRSTENIA.

g.